



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

caput decimum quartum. De Nobilium quorundam Martyriis atque exsiliis.
De Ioannis Nicolai Apostasia: qui Roma Londinum reversus, Catholicam
religionem oppugnavit, tandem vero Rothomagi comprehensus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

ob religionem, sed prodicionem regno & regina intenta-
tam ad mortem damnatum, respondit. Ab eiusmodi
consilijs alienum se semper fuisse: conspirationis vero
intra tempore se ab Anglia longissime abfuisse. Idem
accusatus, quod dixisset, Papam habere potestatem
Reges deponendi, id nouum dogma non esse, respon-
dit, sed etiam olim in Oxoniensi Academia, presente
Regina ventilatum, ipsosque Calvinistas fassos, esse
causas quasdam ob quas Rex iuste regno exus possit.
Vitima eius est patibulo deieci verba fuerunt, *Iesus,*
Iesus, esto mihi Iesus. Eiusdem martyrij For-
do focus fuit, Ioannes Shirus qui quum iridem
vigeretur, ut criminis lesa Maiestatis reum se fateretur,
id vero, ut & illud Regiam (pro qua tamen
preces fundebat) Anglicana Ecclesia caput esse con-
stantissime negaret, plebe, ut in eum tamquam prodito-
rem ageret, carnis suam inclamante, eandem martyrij
gloriam est consequutus. Tertius his comes fuit
Robertus Ionsonus: qui Catholicum se professus,
ceterorum quae ipsi obijciebantur immunem esse,
palam testabatur. *Elisabetham quidem se pro vera*
Regina, sed non pro capite Catholica Ecclesia agnos-
cere. Rogatus quid sper Catholicam Ecclesiam
intelligeret, *Eum inquit, eatum cui Pontifex*
Romanus tamquam vniuersalis Pastor praesidet, La-
tina lingua orans, ministro acclamante, ut ea
lingua qua à Deo iustus esset, vteretur, *Facio*
hoc, inquit, nisi tu sorte putas, Christum vulgari An-
glica lingua precatum esse. Post hos Gulielmus Fil-
bzus Lucas Chirbzus, Laurentius Richardso-
nus & Thomas Cortamus variorum criminum
accusantur, ac tandem morti adjudicantur. Fil-
bzus orare iustus, ut *Deus reginam contra Papam*
veller defendere, facere illud noluit, Papam regi-
na hostem non esse inquiring.

VI. Paulo ante nempe Anno MDLXXVIII. Io-
annes Nelsonus presbyter supplicio affectus fue-
rat: quem aiunt, dum semianimi est patibulo de-
misso venter aperiretur, eleuata voce ut *Deus*
regina & ministris ipsius scelus condonaret, precatum
esse. Illud etiam pro certo affirmatur, aegrotos
quosdam deinde reliquiarum eius contactu sana-
tos fuisse. Hansius vero ille, cuius supra quo-
que mentionem obiter fecimus, nihil maiori si-
bi gloria ducebat, quam quod ex Ministro Cal-
uiniano Catholicus Sacerdos factus, pro eadem fide
moveretur. Cuthbertus Maynus, de quo etiam
supra, accepta mortis sententia (quod fuit Anno
MDLXII. die XXVII. Nouembrii) quam oratio-

ni totum se dedisset, conclate totum flammis
illustratum vidit: ac sic biduo post magno animo
mortem obiit. Ioannes Paynus à Calvinistis ac-
cusatus, dicentes quosdam audisse, à quinquaginta
hominibus consilium de Elisabetha necanda, & Maria
Scota regina proclamanda consilium esse initum, & ut
lesa se Maiestatis reum fateretur in extremo mortis
articulo à Richio Barone admonitus, innocentiam
suam constantissime tutatus est, & Baronem illum
compellans, *Nuncia, inquit, Regina, me luben-*
ter omnia ipsi condonare; simulque mone, ut porro à
fundendo innocenti sanguine abstineat. Eboraci An-
no MDLXXXIII. supplicio item affecti sunt,
Gulielmus Laicus, Richardus Kirkmannus, Io-
annes Tonsonus, Gulielmus Hartus, & Richar-
dus Therkellus, eo tantum quod Catholici es-
sent sacerdotum. Vintonij etiam duo laici, Ioan-
nes Slaidus, & Ioannes Bodzus, morti adiudica-
ti sunt, non aliam ob causam quam quod Regi-
nam Anglicanae Ecclesiae caput esse negassent.
Eodem anno & Gulielmus Carterus supplicium
luit, ob id solum, quod librum impressisset à
Gregorio Martino conscriptum, in quo is vir-
gines quasdam ad ieiunium hortabatur, per quod
Holofeni caput amputari posset, peccatum in-
telligens, quod illi malitiose in Reginam dictum
calumniabantur.

DE NOBILIUM QUORUMDAM
martyrijs, atque exsilijs. De Joannis Nico-
lai Apostasia: qui Roma Londinum reuer-
sus, Catholicam religionem oppugnauit,
tandem vero Rothomagi com-
prehensus malitiam suam
fessus est.

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

- I. Nobiles aliquot martyrio affecti.
- II. P. Casparis Hainodi & aliorum Catholicorum
martyrium.
- III. Nicolaus quidam Apostata, multorum in Anglia
malorum causa, Rothomagi ad causam dicen-
dam pertractus, quid confessus fuerit.
- IV. Catholicus in Anglia uenit proscripti.

V. Curia seu Parlamenti ea de re sententia.
VI. Insignis hæreticorum pertinacia.

I. **V**T in mari fluctus fluctum trudit & impellit; sic in Anglia hæretica indies augefcente, vnius martyrium, mox infinita alia exceperunt: eoque hæreticorum sæuitia progressa est, vt etiam proceres non paucos & nobilissimos ortos familijs involuerit. Inter quos fuerunt Iacobus Laburnus, Ioannes Feltonus, Storeus I. C. & Thomas VVodolus presbyter: hic quidem damnatus, quod Elisabetham ex illegitimo connubio prognatam, & merito à Papa Pio V. regno priuatam asseruisset. Morte etiam, quod Regina primatum negarent, affecti, Franciscus Trogmortonus, Eduardus Ardenus, alijque. Ne hæreticorum castes efugere potuit illustrissimus Dux Northumbria: quem postea Anno MDLXXXV. mense Iulio ex suspitione quod pro Catholicis contra reginam aliquid moliretur, occiderunt. Pagettus Baro fuga sibi consuluit: Arundelia vero Comes Ducis Northfolcia filius primogenitus & hæres, à fuga propter solam conscientiam suscepta retractus, tandem in carcere occisus fuit; & ipsius fratres, sorores, cognati, affines indignis modis vexati. De alijs quamplurimis quid dicemus? Constat ob solam religionem ab hæreticis octo Comites, Barones decem, sex & viginti proceres, Nobiles vero plusquam trecentos quinquaginta, varijs modis è medio sublatos esse tum feminas plusquam centum & decem, inter quas multæ fuerunt nobilissimæ; & imprimis Northumbria Comitissa. Quis non miserimum Anglicani regni statum tum fuisse dicat, in quo tanta grassabatur sæuitia, vt parum Anglus videretur, qui non Catholicum aliquem supplicio tradidisset? Merito dixeris, Anglos tum faciem quidem hominum, sed cor omnibus bestijs crudelius habuisse. Harum enim omnis ira primo fere impetu consumitur; at Anglorum in Catholicos odium nullo sanguine potuit expleri, & vti S. Ioannes in Apocalypsi describit, locustas illas Caluinianas: *dentes eorum sicut dentes leonum.*

II. Incidit quoque circa id tempus in persecutorum manus Gaspar Haiuodus, qui in Galliam ad suorum colloquium euocatus, quum a litore Normánico non procul abesset, subito aduenso vento in portum Anglicanum delatus, à magistratu sistitur, Londinum reducit, & in

carcerem compingitur; mitius ante mare quam nunc terram expertus. Iude non multo post cum alijs vinctis sacerdotibus ad tribunal producit, sed improviso ceteris subtractus, per aliam secretiorem portam ad carcerem reducit. Mox sparsa ab hæreticis fama, Haiuodum in religione mutare: vnde ceteris captiuis non paruus mœror fuit iniectus. Sed impiam fraudem & summam Confessori huic factam iniuriam tempus postea patefecit: vt quæ tam minis quam promissis hæreticorum, Episcopatum si ad se transire vellet, offerentium, contemptis, in summa constantia permansit. qua socij captiuitatis, Georgius Haddocus, Ioannes Muodinus, Ioannes Nutterus, Iacobus Fennius, & Thomas Emerfordus animosiores facti, confessionem suam gloriosa morte lætissime compleuerunt. Eodem Anno MDLXXXII. die XV. Martij Antonius Fugarius Lusitanus nobilis, insignis pro fide Catholica zelator, post duorum annorum incarcerationem, & grauissimos equulei toleratos cruciatus, quum morti esset propinquus (senex enim erat, & tormentis fractus) lætica clam emissus, paucis post diebus animam Christo reddidit. Sequenti vero anno Ioannes Someruilus, Eduardus Ardenus cum Maria Someruil filia, Eduardus vxore, vt & Georgius Trogmortonus & incarcerati & damnati fuerunt.

III. Maximam vero sanguinolentæ tragædiæ occasionem dedit Ioannes quidem Nicolaus, qui Roma reuersus, multa de Catholicorum machinationibus apud Cardinales quosdam fabricatis differuit, vel potius finxit. Quum autem vidisset tot innocentes homines hac fraude sublatos esse, conscientia stimulis impulsus Cæcilium summum Regni Quæstorem adit, ac fatetur, falsa esse ea quorum Catholicos insimulauerat: à quo vix auditus, idem Reginae secretario Valsinghamo significari curauit. Quumque à neutro eorum, vt voluerat, acceptus esset, arcis Præfecto, nec non presbytero cuidam captiuo rem quoque aperuit. Quo facto, statim ex Anglia discessit, ad Turcas profecturus, vt experiretur an non illorum religio meliore esset, vel ad rem faciendam accommodatior quam Protestantium, tam barbære Naturæ iustitiam violentiam? Sed in itinere quum multis difficultatibus impediretur, in Galliam concessit: quumque Rochomagus venisset, Catholicorum monitu à magistratu comprehensus & interrogatus vniuer-

fam mendaciorum suorum seriem retextit, hæc præcipue falsus. Papam, Cardinales, & uniuersum Clerum Catholicum ab se iniustitia, rapina, & omni generis flagitiorum falso & malitiose accusatum. Falso & exolumenti spe à se confictum, Roma in Anglorum consultiari Seminario, quomodo regina è medio tollenda sit. Quum deinde, quamuis incerto auctore, accepisset, Excommunicationis sententiam contra Elisabetham à Pio V. latam, à Gregorio XIII. reuocatam esse, famam eam ab se in Angliam diuulgatam. Non sine perfidia Catholica quoque religionis studium à se simulatum, quum Protestantium factioni ex animo esset aduersus. Vidistine certius ullum unquam testimonium hæreticæ astutiæ ac perfidiæ, qua contra Catholicos quotidie vtuntur, multisque exitium crearet. Huius enim potissimum inducti persuasionibus Angli, omnes Catholicos falso machinationis alicuius contra reginam insimulatos perdere statuerunt. quin etiam Parlamenti lege capitalis in omnes etiam proxime cognatos, sententia lata est, qui vel minimum quid contra reginam tentassent: cuius vim Essexius Comes nullius quidem proditoris conuictus, sed quod inuira regina aliquid molitus esset accusatus, non ita pridem est expertus.

H. Quia vero Anglicani regni Senatus animadvertebat, hæc sanguinaria crudelitate multorum animos offendi, seque male passim tam apud externos quam indigenas audire: clementia quadam, licet ipsa morte acerbiori, erga Catholicos uti statuit. Quare ex omnibus carceribus captiuos non paucos in exilium mittere decreuerunt, rati hoc pacto fucatam suam clementiam diuulgari posse. Atqui vix horum quisquam erat qui non in patria pro Catholica fide mori, quam precariam vitam inter externos trahere maluerit. Tumenim ijs opuserat qui domi hæresi se quam fortissime opponerent, non vero ijs qui muliebriter foris in exilio calamitates suas deplorarent. Neque vero ideo angebantur quod patriæ & fortunarum iactura esset facienda, sed quod reliquos Catholicos mortis suæ exemplo ad constantiam animare non possent.

Hæc de re is qui Historiam à Sanderò ceptam persequitur est, & ipse ex eorum fuit numero, sic scribit: Quum dies à Magistratu esset illis deportandis designatus, danteur cuiuslibet carceris præfecto eorum

nomina qui in exilium erant destinati, & ut vinctis diem præscriptum deuocier, mandatur, ut ita matre de rebus ad viam ac victum necessarijs sibi prouiderent; nam publicis sumptibus (quod à multis expectabatur) non nisi in nauis erant alendi: sed ipsi carceribus interea conclusi, nec ad ullius colloquium nisi custodibus presentibus admissi non multum adiuuenti ad iter ac futurum exilium obtinere potuerunt; ut vel hoc nomine istud exilium desolatis hominibus calamitosissimum videri debuerit. De voluntate tamen Regina certiores facti, quisque quod potuit fecit, ut, ad viaticum non nihil vestium aut numerum à suis procuraret.

Dies tandem venit, licet sapientia quo Consilio dilatus, & mutatus, ibantque ij quibus nos transportandi data sunt mandata, representes à variorum carcerum præfectis: eos qui designati erant ad exilium. Ducti sumus omnes ad nauem in Thamesi flumine prope inuam arcusitam; iamque conscendere iubemur, ubi ex nostris quidam, præsertim R. Pater Gaspar Haynodus omnium nomine palam conqueri cepit, nos sine causa sine crimine, ac sine iudicio planeque indemnatos non debere patriam pelli, ac prosteri nos ultra non iuros, nec patriam, ac populum Catholicum qui in ea est, nostro unquam consensu relictuos, sed ipsorum in conspectu ad testificationem communis fidei nostra & ipsorum, lubentissime morituros. Patriam nostram ac salutem istorum nobis vita nostra longe chariorem esse.

Sed cum hac ratione nihil proficeretur, literas saltem ac mandata Principis, quibus ad perpetuum exilium damnatur (inquit) ostendite. Sed concessum non est, ac sublatis velis cum multa multorum consulatione ac commiseratione in alium delati sumus. Post biduum vero, cum iam in oceanum multum processissemus, R. P. Gasparus & alij, iterum obnixè rogarunt regios ministros, ut vultunt tandem sententiam ac literas exilij videre ac legere liceret. Visti illi, mandatum exhibuerunt, in quo cum illud legissent, Hæc tales personæ suis & aliorum confessionibus multarum in suam Maiestatem & Republicam seditionum ac machinationum reas inuentas, omnesque vel in iudicio de iisdem criminibus conuictas, vel propter similia in carcere detentas, licet mereantur extremum supplicium, tamen regiam clementiam mitius hæc vice agere volentem, extra patriam sine tantum deportandas, hoc præsentis scripto decernunt. Hæc, inquam, cum in hanc sententiam legissent, flebiliter clamarunt vna voce omnes, se falsissimis calumnijs ac grauissima iniuria affici, cum nec

ipsi, nec sociorum Catholicorum quisquam, ullum unquam rebellionis aut in Regiam aut patriam conspirationis crimen, vel leuissimo verbo confessi sunt; & ex ijs ipsis quos tum deportabant, vnus falsissima accusatione, in iudicio publico fuisse absolutus. Proinde P. Gasparus in eam sententiam multa locutus, iterum atque iterum obsecrat ductores suos, vt ad causam dicendam in Angliam reducantur, ac publico iudicio sistantur; vel saltem vt ibi pro Christo potius & innocentia sua defensione iugulentur, quam vt hac luculenta infamia in aliena terra compareant. At responsum est, id in ipsorum potestate non esse, se mandatum regium implere debere. Processimus igitur, vt potuimus nos inuicem consolantes, ac gaudentes quod hanc contumeliam pro nomine Iesu, vtrumque patienter tulimus, ac tandem Deo iuuante Boloniam appulimus, vnde postquam ductoribus nostris valediximus, ad varias Gallie vrbes, vt quisque habebat commoditatem profecti, demum omnes ferè Rhemos ad communem patrem Alanum perreximus.

In quemcumque autem locum, ad confratres aut superiores nostros venimus, eos de nobis valde anxios reperimus, audierant enim hæreticorum aut maleuolorum falsis rumoribus, nos hoc exilium ob metum periculorum in Anglia vltro procurasse, stationem nostram reliquisse, aut etiam quod grauius esset, aliquid hæreticis in religione cessisse. Sed quum rem omnem ex nobis abunde intellexissent, multique nostrum se porro paratos esse dicerent, quando cumque superioribus placeret, sine omni periculorum exceptione redire, incredibiliter latati sunt in domino. Atque de istis non domi trucidatis, sed ita patria pulsis, in exemplum ac argumentum clementia Regia, aduersarij passim loquuntur libenter; & in eo persistunt atque instans tam impudenter, vt quo plures fuerint in exilium detrusi, eo magis elucere putent magisque commendari apud exterarum nationum, præclaram istam Regia clementiam. Nuper igitur eadem fraude & crudelitate qua superiores, in Galliam eiecerunt viginti duos ex Eboracensi & Hullensi carceribus, qui omnes sacerdotes sunt, vno excepto, qui tamen est Diaconus. Hi omnes maxima ex parte, non solum vinculis & carceribus, sed senio etiam sunt confecti. Nam alij sexaginta, alij septuaginta, alij plures annos habent, & inter eos vnus est octogenarius. Multi horum licet sint valde senes, magnam tamen ætatis partem in vinculis peregerunt; ita vt reperiantur, inter illos qui viginti & sex annos, patientissime & constantissime tulerint omnia illa incommoda qua tot annorum, & talium hæreticorum iniquitas incarceratis solet asferre. Hæc quidem ille.

VI. Liber deinde in Anglia proCUS fuit, Iustitia Britannica nominatus, eoque insigni illi (seu uicitia in Catholicos exercita, color quæritus.) Nec mirum hoc in hæreticis; qui etiam foedissimas suas actiones quocumque prætextu palliare norunt. Et libro alius deinde à Catholicis fuit oppositus, & quamplurima eius mendacia ostensa. Legens hunc quidam Reginae Consiliarius, ad amicum dixisse fertur; Miror cur Pontificij etiam prudentiores tam aperce, presse ac libere sua Maiestatis ac magistratum actiones & edicta refutent atque infectentur. nam licet (aiebat) fortassis nos in religione & regimine erroris conuincant; illud tamen cogitare debent, nos huc vsque progressos, saluo honore & securitate nostra non posse resilire; nec tantam reginam ob humilium istorum & pauperum hominum demonstrationes ac clamores posse aut uelle pedem referre. Sic ille. Ex quo hæreticorum elucet pertinacia; quibus idem accidit quod ijs qui in uepreta incidunt; qui tanto magis manus & corpus vulnerant, quanto tenacius uepres & spinas apprehendunt. Et quotusquisque hæreticorum, etiam erroris conuictus, errorem faceri uoluit? Succumbere malunt, præsertim qui iam existimationis aliquid collegerunt, quam cedere: diabolo mundanae uanitatis puluerem oculis ipsorum iniiciente, vt ex cæcati in exitium præcipites labantur, & alios secum trahant.

MARTYRIA QVORVMDAM
& circa ea miracula. Cardinalis Castilioni
mors. Oratoris Gallici in Anglia
priuilegium.

GAPVT XV.

ARGUMENTVM.

- I. Miracula quorundam martyrum. De Fischero Rosensi Episcopo, & Thoma Moro.
- II. Alia quadam miracula.
- III. Iudices quidam Angli ob iniuste latam sententiam subitanea morte à Deo Catholicorum causam agente puniti.
- IV. Elisabetha cum exteris Principibus confederatio. Mors VValsingami, Catholicorum, dum uixit flagelli.

V La